

Q. N.  
412  
42.

Q. D. B. V.

117  
II i  
171

HISTORIA  
GAMALIELIS,  
cognomine Senis,

*publicè edisserendam sumit*

PRÆSIDE

X 18622 A

M. CASP. HENRICO

GRAUNIO,

Ordinis Philosophici Adjuncto.

RESPONDENS

DAVID FRIDERIC. GERDESSEN,

Gryphisvaldensis Pomeranus.

IN AUDITORIO MAJORI

*Ad diem XIII. Augusti*

*Mo. cIs Isc LXXXVII.*



WITTENBERGÆ

Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad, Typogr.



7.1

9



1771  
HISTORIA  
GAMMARETICAE  
COGNOMINE  
M. G. HENRICO  
GERM. HENRICO  
Ordinis Praedicatorum  
DAVID FRIDERIC. GERDESSEN.  
Gyphisvvaldensis Pomeranus.  
IN AEDICTORIO M. M. TORI  
M. D. C. LXXI.  
GOTTINGEN  
PUBLIUM LIBRARIUM



in  
di  
fa  
re  
ru  
&





1.



Amaliel, de quo hic  
 commentamur, posteros ha-  
 buit eodem nomine gauden-  
 tes, quos imperite faciunt, qui  
 inter se permiscunt, quando in Catena Talmu-  
 dica cum ordo ipsorum perscriptus est, tum  
 familiae ratio ut plurimum servata. Qua de  
 re videri queunt Judæorum Magistri, è quo-  
 rum monumentis catenam sic repræsentatam  
 & contextam habemus.

Hillel

Simeon

Simeon

Jehuda

Gamaliel Senex.

Gamaliel III. \*\*

Simeon

Jehuda

Jochanan

Hillel

Gamaliel Jamniensis.\*

Gamaliel IV. \*\*\*

\* Itaque huc non spectatis, qui Jamniam secessit civitate à Ro-  
 manis eversa, & ibi scholam populumq; gubernavit. Etenim mi-

A a

gra-



gravit & Senex in illam urbem, quadraginta antè, quàm civitas  
exscinderetur, annis, ac Samuelem quendam Parvum auctorita-  
te sua confirmavit, diras ibi & execrationis formulam adversus  
legis adversarios struentem. Verum reversus est postea, & Sena-  
tum Hierosolymam reduxit, neque Jabnen sic amavit, ut cogno-  
men hinc ad eum perveniret. V. Germen Davidis, Part. I. Millenar.  
4. ann. 715. Sane non sum nescius, hanc migrationem, quæ à Sene  
suscepta fuit, non nemini videri dubiam, prorsusq; displicere; qui  
ut veritati historiae consulat, diras promulgatas fingit, haud in  
Concilio M. sed Urbico Jamniensi, quæquam Gamalielis auspiciis  
ac jussu. Verùm aut in solidum oportet recitationem abjici & re-  
pudiari, aut in ea quoque admitti parte, quæ iter Jamniense con-  
tinet. Vid. præter Librum Familiarum, Chronic. cit. Aliàs apud  
Talmudicos alter ille non usquequaque benè audit, quibus si imper-  
tienda sit fides, mores fuerunt asperi, incompositi, acerbi: animus  
iracundus & fastuosus: ingenium pragmaticum ac inquietum.  
Ne fortuna quidem satis prospera, cum ob vexationem innocen-  
tissimi mortalis à Præsidis dignitate dejiceretur, magistratum cum  
alio partiri coactus. Unum in his maculis decorum, sapientia stu-  
dium, hereditate veluti à majoribus ad ipsum propagatum. Nam  
& novis Lunis operam impendit, & alias sideris phases accuratè spe-  
culatus est, quæ in parte Hillel ipso ortus eum studuit æquiparare.  
Vid. cum Gemaristis in Rosh Hashenah & Taanith. Ben Dior in  
l. bro Cabalæ f. 27. c. 4.

\*\* Non patitur institutum nostrum, quid tertius, qui sic  
nominatus fuit, egerit memoria dignum, sigillatim recensere. Ni-  
si fortassis id prætermittendum non sit, quod principatum tenuit,  
vivoque parente ad illum perductus fuit, & non modò nomen Rab-  
banis, sed etiam dignitatem & sapientiam, in Pandectarum Ebrai-  
carum interpretatione conspiciendam, obtinuit ac reportavit. Vid.  
de ipso Capitula Patrum pag. 14. & 22. Etenim tunc Γνωμόλογοι  
in magna occeperunt existimatione esse ac celebritate, cum horum  
etas defineret, qui Veterum placita ore suis tradiderunt. At  
Gamaliel III. & auctoritatem suam eam ad rem impendit, & stu-  
dium insuper cum Simeone fratre applicuit, & ad hunc classes sa-  
pientiæ propagavit. Fuit igitur clarum ejus nomen in Palestina re-  
gioni-

gionibus, nec opinor Gansius ipsum intelligere potuit, cum recenset, qui in Babyloniam descenderunt. Constat enim inter omnes, Hillelem Astronomum longo post tempore in Judæa fuisse, & cum eodem demum disciplinam gentis, literas, & auctoritatem ibi interisse. V. ann. 979. Ceterum Rabbanis titulus in ipso finem habuit ac expiravit, qui excellentissimus fuit habitus, & ad familiam Hillelis inveterata consuetudine pertinuit, neque literas modò, in quibus hærebat, sed principatum scholæ simul & concilii significavit. At in cæteris appellationibus secus se res habet, quarum aliæ Palestina Magistris, aliæ à Babylonicis scholis prodeuntibus obtigerunt. Unum Ribbi elogium præstantius illo videtur. Nam Jehuda, qui texture Talmudicum concinnavit, integritatis & sapientie laude florens, hoc est consecutus, ut id solum possideret. Quamquam si Hillelianum consimili ratione poneretur, sine dubio præferendum ei foret. V. Histor. Promot. Academ. Ebr. Sed de voce Rabbanim, sive peculiarem hominum cætum & factionem significet, sive hos designet, qui munia docendi promiscuè sibi sumunt, extat aliquid apud Benjaminem Tudensem in Itinerario, & Eliam Grammaticum, flexionis formam edifferentem.

\*\*\* Ultimus quem Catena exhibet, celeberrimus existit, si verum est, quod quidam scribunt, ipsius ceu Judeorum Patriarchæ multis locis fieri mentionem. Est in Codice Theodosiano id videre, Gamalielelem Patriarcham codicillis honorariæ præfecturæ fuisse multatum. Et alibi Cæsares interdiciunt, ne Judeorum Patriarchis pecunia solvatur. Tum Hieronymus refert, Esychium Virum Consularem, adversus quem Gamaliel Patriarcha gravissimas exercuit inimicitias, à Theodosio capite damnatum esse, quòd sollicitato notario chartas illius invasisset. Præterea Marcellus Empiricus hoc scriptum reliquit, Gamalielelem Patriarcham singulare remedium ad splenis curationem ostendisse. Jam si fieri posset, ut Filius Hellelis apud Epiphanium huc traheretur, multa sanè de hoc Gamaliele dicenda forent, quæ cum per se mirificè lectorem afficiunt, tum senis historiam ornant, ac uberiores nobis sistunt. V. Cod. Theodos. l. 14. & 16. Tit. 8. lib. 22. & alibi. Hieron. ad Pammach. de optimo genere interpretandi. Ep. 101. Marcell. Empiric. de Medicamentis c. 23. Ephiphani. lib. 1. adversus Hæres. p. 128. Conf. Cl. Salmas. ad Vo-

piscum p. 454. Verum enimvero non perinde certum est, num hic Gamaliel familiam enumeratam in Catena attingat, quando plerique Ebraeorum ne hunc quidem habent, & Hillel claudit, quam Hillel cepit nobilissima gentis stirpem. Si vero ultra ipsum sapiens in Palestina nullus fuit, consequens est, quem procreavit, Filium alibi ad fastigium pervenisse, quod silentium historia similiter convellit. V. Chronic. Gansii ad ann. 4118. Atqui vix opinor, Patriarcham crebro memoratum, ob id, quod sic vocetur, confestim nostrum esse, etiamsi certum foret, Gamalielem aliquem agmen reliquorum in Catena claudere. Nam Patriarcha nisi tales sint, qui concilium gentis & scholas gubernarint, nequaquam nostris accenseri, aut ad stirpem nobilissimam referri queunt. Olim quidem Aechmalotarcha, qui post primum excidium captivis praerant, ad senatus Principes nil prorsus attinebant. At Casaubonus ipsos cum Patriarchis componit, & Epiphanius disertè testatur, his post alteram calamitatem totius populi gubernationem permissam fuisse. Quamobrem nisi dicas, Principatum gentis & senatus extremo tempore coaluisse, quo alias res Judaeorum in angustias redacta erant, vix efficies, ut Patriarcha qui fuit, in Catenam, quae Concilii Scholaeque Praesides saltem habuit, recipiatur. Casaub. Exercit. ad Baron. Quod ut nondum expeditum est, sic minimè omnium convenit, Gamaliel in Catena recensitum Hellelis apud Epiphanium perhiberi posse filium. Quamquam enim clarè hic adseveretur de Hellele, ipsum à Gamaliele sanguinem derivare, tamen consignatio temporis principio nos sinit adhuc dubitare, propterea quòd licet grandævus fuerit is Hillel, tamen ultra dimidium IV. seculi vix pertingat. Sed Gamaliel ad Theodosii Junioris aevum refertur. Quinimò Epiphanius disertè narravit, Hellelem sub Constantino sene obiisse diem supremum, quod tamen historia Ebraeorum nonnihil impugnat, & propemodum refellit, vid. loc. cit. Alia sunt apud diligentissimum Patrem, quae nunc non moror, etsi nullum sit dubium, valere ad id, ne quis consentiat, ut quod Hillel Christianis se addixit, multaque ipsi acciderunt admirationis plena & portento similia. In quibus omnibus nihil de his, quae à Judaeorum Magistris tanquam praecipua commemorantur, ac de eo abundè comperta erant. ibid. Etsi verò concedendum foret, quòd is Hillel nostras esset, tamen de Gamaliele pro-

propterea non est confectum, quoniam Epiphanius Hellelis filium nuncupat Judam, testatus interim, se nominis haud bene meminisse. Itaque omnia demum sunt incerta, & praterquam quod non nisi conjectura locus sit, etiam cavendum est, ne hanc precipitate sententia arripiamus nimis celeriter, ac defendere perseveremus. V. Dionys. Petav. animadvers. in Epiphani. Cujus rei exemplum utus in Gamaliele compareat, tamen ab Hellele denuò sumere mihi liceat. Fuit aliquis, qui epistolam Juliani Augusti de Hellele interpretari nihil est veritus, quia sic habet: Ἰὼν ἀδελφὸν Ἰησοῦ ἡγεσιμώτατου καὶ γαμάριου. Fratrem Julium (in quam vocem, ut molliorem, ac Graecis notam, degenerasse putat, ut sit, Hillelem) Patriarcham illum veneratione dignissimum. Ego verò ita cogitavi, si adhuc Gamaliel aliquis inferendus est familia illustri, adsciscatur Judas Epiphani, & hunc demum Gamaliel IV. in Catena, quam delieneavimus, sequatur. Levior enim foret elementorum immutatio, si Julianus Ἰησοῦν scripsisset, cum vox Ellelis in Julii nomen non abeat leniter, sed precipiti deflexu ruat. Adhuc Epiphanius etiam rectius coibit, & tempora facilius congruent. Quod si nimis temerarium alicui videatur, sit ita sanè, & liceat modò periclitari interdum, quid utrinque disputari & afferri possit. V. Epist. 25.

2. Retrò visentibus sanguinis origines occurrunt, quas Hillel \* intercidere non est passus, sed illustravit & magnoperè provexit. Quamobrem ab eo & imagines derivavit Gamaliel, & initia felicitatis duxit, quippe amplitudo honorum, sapientiæ studia & principatus, multiplicia responsa, & virtutum ornamenta, animum ejus erexerunt, & ad similem laudem doctrinæ & mansuetudinis reportandam non mediocriter extimularunt. Ex Simeo.

meo.

meone non perinde quidem potuit exsplen-  
descere, conseqvutus tamen istud est Gama-  
liel, ut haud minus diligentiae insumeretur, ad  
hujus viri, quam ad avi clarissimi rationes ex-  
plorandas. Etenim neque pudere parentis  
illius quoquam pacto Gamalielem oportuit,  
neque non fuit is valde nobilitatus, siquidem  
hujus sustineat personam Simeonis, \*\* qui  
Christum ulnis complexus praeconia ejus re-  
citavit, & justitiae sanctimoniae laudibus, in  
historia divino jussu consignata afficitur & ho-  
nestatur.

\* Certum est, ipsum regiam Davidis familiam attingere,  
verum sanguine matris, è Sephatiagenus suum derivantis, Abitale  
filio: patriam enim stirpem sic recensuit sedulitas priscorum, ut in  
Beniamine retrò numerata desineret. Fidem faciunt Talmudicae  
historiae monumenta, & Abrabanelis testificatio, in Dan. f.22. col.3.  
& Chronologiae Judaicae, nec non Maimonidis Praefat in Misn.  
Ferunt autem, in Babylonia ipsum prius delituisse, quam ad pri-  
sca gentis domicilia Hierosolymam proficisceretur: & conjectura  
non levis est, majores ipsius Scholarum gubernationi ibi praefuisse.  
Neque enim ad Euphratem sapientia primum commigravit, cum  
urbs in cinerem secundo esset redacta, sed diu antè captivi è Judaea  
illuc eam deportarunt. Quapropter dubium non est, plurimos ibi  
gentilia studia, & literas fuisse professos: & quid ipse in his oris  
egerit per tot annos, disciplina ejus & celebritas satis certè ostendit.  
Enimverò Hillel non miuus ex se clarus extitit, quam nobi-  
litate opinione magnus evasit, quae ipsi quidem singularem lar-  
giebatur dignitatem ac splendorem, adeò ut ceterae familiae jam in  
con.

-05m



contemptum veniret, & Messia ortus ex ipsis minimè speraretur. Quamobrem datum hoc ei fuit sponteque impertitum, ut cum antea cuius esset integrum, discipulos ornare honoribus, qui academi- arum sunt, nemini in posterum istud liceret, nisi facultatem ejus rei perficiendæ à Principe Senatûs impetrâisset. Præterea cum hic Principatus subinde abrogaretur, eidem non modò fecerunt perpetuum, sed ad seros etiam nepotes, quantum tempora ferebant, prorogari & hereditarium adquiri permiserunt. Maimon. Sanhedr. c. 1. & 4. Germ. David. mill. 4. ann. 718. Diligentia Hille- lis, quam premia tam inusitata sequuta fuerunt, mox à primo tem- pore eluxit, & præclaris exemplis nobilitata fuit, & pauperculo tan- tum profuit, ne inopia studiis ejus vehementer nocere, aut conatus præclarissimos pessundare posset. Quare mirabiliter subitoque cre- vit, & perfectam gloriam est consequutus. Scholarum frequentia, discipulorum multitudo, quæ de prorsus incredibilia sunt quæ pro- feruntur, sententiarum capita, scissis animorum studiis à Sameo acriter quidem impugnata, sed extirpata nunquam, constitutiones valere jussæ, & Talmudi inserta, literaque ejus comprehensæ, no- tiora sunt, quam ut minutatim recenseri ac exponi velint. V. Ha- licoth Olam, quem librum Empererio debemus, cap. I. Maimo- nid. in Præfat. cit. Raimundus à Voisino editus p. 27. Jam hone- stas & observatio æquitatis inter virtutes præcipuæ feruntur, tali- que animo fuisse ipsam significant, qui ardorem in disputantibus effervescere solitum mirificè temperavit, cum adversum illi tenens tumultuaretur Sameus, & propter asperitatem cunctis odio esse in- ciperet. V. Jo. Coccejus, in Excerpt. Talmud. p. 156. & 429. Alio- quin de his dissidiis Robertus Scheringamius haud ineptè pro- nunciavit, ea non obstare, quò minus leges & ritus Judæorum in- vestigari possint: sicut Babingtoni & Pastoni, Yelvertoni & Forte- scutii contentiones haud impediunt, quin Juri dicundo apud Anglos præfecti in veritatem sententiæ alicujus perveniant, & de rebus in- judicium adductis statuere queant. Vid. Præf. ad Lect. Conf. Ha- licoth Olam, ubi & capita dissensionum exhibentur, & accuratè copiosèq; de proposito negotio disputatur. Hæc inter verò litiga- tio succrevit, & sectæ ab his aucturibus procreata ferociter sibi in- sultarunt mutuò, neque cum istis sublata sepultaq; fuerunt. Me-

minit Justinus Martyr Ἐμμανυῆς, quos Ἐμμανυῆς olim legi & plurima sunt, quæ Viris quidem doctissimis persuadent: quanquam Scaliger id haud suspicetur, & ob eam causam se torquet adversus Serarium Jesuitam, cujus animadversio ut hic displicet, ita Drusus convenientius negotium expedivit, doctæque in vocabuli pronuntiationem est commentatus, de tribus Sectis Judæorum, Lib. 2. cap. 10. V. Justin. Martyr. Dial. cum Tryph.

\* \* . In hac disputatione multa invenire est, quæ assensum cohibent, exitumq; habent difficiliorem, quam non satis cautis, & incuriosius scrutantibus videtur. Equidem quibus complacitum est, hunc Simeonem nostrum asseverare, his utuntur argumentis. Initiò de temporibus dissensio non est, siquidem Gansius Hillelis Filium eum esse perhibuit, quo vivente Christus Mundi Salvator editus est in lucem, part. II. ann. 3761. Deinde profæpie splendor, & illustris dignitatis fastigium, auctoritasvè singularis magnoperè nos afficere debent, quæ cuncta in Simeone fuerunt, Senatus Principe, cui populus Judæorum id perpetuò tribuebat, ut divinitatis aliquam opinionem de ipso haberet, quod Lucæ recitationem egregiè confirmat. V. Misn. tit. Horaiioth cap. 3. cum interpretatione Gemaræ, & aliorum. Porro si pietas & religio spectari debent, argumento est silentium Judæorum, qui cum decora familiæ hujus magna diligentia persequerentur, & literis consignarent, de Simeone nostro ferè prorsus conticuerunt: nisi fortè Apophtegmata huc pertineant, in Capitulis Patrum, de quibus tamen acriter à doctissimis viris disputari videmus. Vid. Drus. Apophtegm. Tandem levia sunt, quæ quidam opponunt, esse in Cabala Abrahami, & Talmudico Libro, veterem opinionem, quæ centum anni, qui Urbis excidium præcesserunt, ita dispersiuntur, ut decimus ætatis Christi sit Hilleli emortualis. Nam huic quidem characteri satisfieri potest multiplici ratione. Primum enim, quid ad rem, si tùm Pater adhuc fuerit in vivis? esto sane: an quod cupiunt adversarii, sic habebunt statim confectum? Dein le non ita est, refellitur enim per testimonium, quod è Chronico fuit antea citatum, cui refragari tùm licuerit, cum potiora erunt adversum in acie hic quidem collocata. Tertiò alii characteres præstò sunt, qui efficiunt, Hillelis obitum aliquot ante Christi natalem annis consecutum fuisse. Quoniam enim Samei initiò fuit  
Pra-

Præceptor, & in judicio Herodis, quod quarto & quadragesimo anno celebratum est, antequam Christus nasceretur, ejusdem sedit collega (ita enim Josephum intelligunt, quando Pollionem commemorat) jam tum plures oportet abiisse annos principatus ejus, & sic minime attigit decimum Epochæ Christianæ, quod tamen adversarii confidenter asseverarunt. Denique annon ita interpretari licet veterustam traditionem, ut centum anni incipiendi sint non ab Hillele, sed à Simeone, cujus hoc pacto jam tricesimus illuxerat annus in principatu & concilii gubernatione, quæ ex re vitæ & annorum satur mortem anhelavit, quam decennio post excepit, placidissimeque est defunctus? Hæc habent, qui in ista sunt sententia, cui Salmanticensis favet apud Drusium, & Bar Dior in Cabala sua, in quantum Pollionis & Samei condiscipulatus stabiliendus sumitur. Ipsum Epiphanium Baronius istuc videtur trahere velle, dum de bumatione negata in primo Annalium Volumine exponere laborat. Ego verò perpendens ista, & apud animum meum reputans ita statuo. Principiò temporis difficultatem hæc in parte esse levissimam, & nullo negotio posse explicari. Ut enim taceam, istius placiti, quod apud veteres inveniri ajunt, variis modis fieri accommodationem, quandoquidem Angelus quidam, in Rabbinorum & Talmudis historia satis exercitatus, decimum tertium æræ Christianæ Hillelis postremum fuisse, ex eo concludit, cum aliàs decimus saltem exinde conficiatur: quomodo inficiari possunt, Simeoni jam tum ultima imminuisse, siquidem Gamalielelem necesse est parenti successorem ponere, non magno inde intervallo, quod plerique sanè fieri cupiunt? Et de Hillele admodum grandi natu etiam diu ante Servatoris auspiciatissimum natalem, sine dubio constat. Atqui id secundo loco observare necesse habeo, implicitam rem esse ac difficillimam, Gamalielelem Christianum nolle, & nihilo secius Parentem, inclytum Senem, Confessoris elogio nobilitare. Quamquam enim filios degenerare certissimum sit, tamen nostrum in patris sinu educatum haud facile adducor ut credam, sic repente fuisse immutatum, ut de antiquæ disciplinæ instituto nihil quidquam remitteret. Tertiò qui istud credibile videatur, rem tantam in historia sic præteriri, quam Lucas consignavit, tam negligenter referri, aut potius ita

quæ gesta sunt recitari, ut aliud de Simeone illo elicere cupientibus, id minus quidem operosum difficileq; appareat, quandoquidem Synedrui Principem haud ita notari conveniebat, neque nihil interfuit, utrum de infimo mortalium, an Præside Concilii sermocinaretur? Præterea non convenit, id quod quarto notari oportet, hanc confessionem nihil gravius secutum, quam & Princeps Senatus, & discipulus Hillelis edidisset. Quæ enim hinc non animorum perturbatio, & repentinus motus, cum apud plebem, tum apud magnates extitissent, longè alios majoresque, quàm de quibus compertum habemus, exitus habituri? Adeò causa fuit Gvilielmo Vorstio, cur statueret, vix potuisse ita fieri, quin populi totius multitudo in assensum pertraheretur. v. Not. in Germano Davidis. His addimus quintò characteres, in Simeone, qui apud Lucam est, conspiciendos, nec multò labore inveniendos, qui in hominem civilium negotiorum rationibus impeditum egré cadunt, atque à politico ipsius instituto sunt fermè prorsus alieni. Postremo quod silentium concernit, neque id tum satis est apertum, neque si maximè foret, confestim propter Christianismi suspicionem Judæis placuisse putandum, quod de aliis similiter est observare. Vorst. l. c.

3. Ut ut autem sit de Simeone, is certè, qui Pater fuit, Gamalielem benè curavit, ac ejus institutionem haud neglexit, sed ita educationem dedit, ut ad talem celebritatem eniteretur. Favet huic rei felicitas temporis, quo literarum studia in primis floruerunt: quippe Seleucidarum imperio deficiente, quod & rempublicam pessundedit, & Musas Palæstinas graviter afflixit, Herodis seculum ita postea exsplenduit, ut omnia in integrum restitueret, &

ab

ab interitu vindicaret. \* Quare Gamalieli o-  
portunè istud accidit, cùm filio, tùm alumno  
Simeonis, quandoquidem disciplina Veterum  
hoc pacto conservabatur, ut qui proximi fu-  
turi essent in catena, à prioribus acciperent.  
Et verò non est satis hìc compertum, utrùm  
avi institutio nepoti subvenire ac prodesse po-  
tuerit, quod dicere tamen haud verebitur quid-  
quam, qui initia ejus Hillelis extrema attigisse  
opinatur. \*\* Quoqvo autem modo habeat,  
adolevit in sinu & complexu suorum, eorum-  
que sapientia, studio, & præceptis mirificè pro-  
fecit, nec pœnitendus academiæ civis extitit,  
quam paulò ante excidium ea incrementa ce-  
pisse ferunt, ut 400. quidem synagogas, & 800.  
scholas, ad utramque legem studiosæ juven-  
tuti, quæ undiqve ad civitatem confluebat, in-  
sinuandam tradendamque haberet. Proin-  
de usus est commoditate hujuscemodi, & ad  
percelebres magistros animum discendi cupi-  
dissimum tempestivè applicuit, & incredibili  
successu emerfit ad hoc culmen dignitatis, ut

B 3

aca-

academiam ceu caput atqve princeps admini-  
straret, suaqve decreta assensu omnium vide-  
ret excipi & comprobari. Cui recitationi id  
ex parte indicio est, quòd multitudo ad pedes  
ejus sedit, & ab ipso Nomodidasfali, \*\*\* ceu  
publici doctoris, elogium fuit usurpatum.

\* Habuit Academia tunc Hilleles suos & Samaos, excellen-  
tissimos doctores, quorum auctoritas plurimos permovit, & Hieroso-  
lymis multum lucis splendorisq; circumfudit. Inprimis verò Hille-  
lis auditorium celebre extitit, & è frequenti multitudine discipulo-  
rum nobilitatum fuit, cui Simeon & Zacaiides interfuerunt, prior  
verò etiam parenti successit in officio, quo nemo ex ista familia fa-  
cile potuit excludi. V. Histor. Acad. Ebr. & Capitula Patrum, cum  
animadvers. Leusden. ad Hillelem. Memorabile est, eundem & Se-  
natus Principem legi, & academia magistratu fungi consuevisse, quod  
Maimonidis testimonio confirmare possumus adversus illos, qui secus  
opinantur, & Vicarium Praesidis rexisse scholam adfirmant. San-  
hedr. cap. 5. Conf. Ben Dior. l. c. f. 27. c. 3. & 4.

\*\* Faciunt illi omnes, quorum ultra natalem Christi Chro-  
nologia pertendit: & tempestivè evenit, quod de Aquiba quidam di-  
cunt, cum utut Gamaliele juniorem, tamen ab Hillele olim pepen-  
disse. Nam & Hieronymum illam in sententiam, & Epiphanium  
citari videmus, quorum testimonia interpretationem variam ad-  
mittunt. Nobis certè is condiscipulatus haud placere potuit, si qui-  
dem Aquibam ab Hadriani aetate divellere nequimus. Drus. de 3.  
Seet. p. 80. & 81. Respons. ad Minerval. p. 421. & 443. Conf. Sca-  
liger, adversus Serarium sic concludens: eum qui sub Hadriano  
fuit, non potuisse succedere iis, qui sub Herode M. vixerunt.

\*\*\* Vocem non interpretor, de qua apud Hieronymum &  
Festum, nec non in Harpocrate & Meursii Glossario multa ex-  
tant notatu digna. De re ipsa fusius exponere aggredior, & se-  
quentia observo. Scribae habebantur olim, qui docendi munia ca-  
pess-

possessant, quemadmodum γραμματεῖς in N. F. historia, & consimi-  
les appellationes apud Paraphrastas animadvertere licet. Hi ve-  
rò ceu publici doctores, multiplici scientia, magna clavium carbe-  
draque auctoritate, frequenti responso, & jure jam inveterato fue-  
runt inclyti, legemque interpretari consueverunt. Quod sicut νομο-  
δοδιδασκάλων rationibus appositè convenit, nec à νομικῶν insti-  
tuto penitus abhorret, ita hinc facessere jubemus, qui in his ordini-  
bus sectæ quid peculiaris comminiscuntur, quos præter alios Jo. Hen-  
ricus Hottingerus, vir doctissimus, & in hoc argumento cum stu-  
dio versatus, idoneis modis consutavit. At enim longè difficilium ex-  
pediendum relinquitur, utrum nempe quid discriminis intercedat  
hos inter, quos vetustas variis nominibus insignivit, tum quæ illud  
sit, & quo pacto dispertiri debeat, ut de Gamaliele, quem Acta νομο-  
δοδιδάσκαλον perhibuerunt, sententiam ferre queamus. Epiphanius,  
cujus auctoritatem plerique ostendunt, hæc habet, ubi de Phariseis  
sermocinatur: οἵτινες τὰ αὐτὰ τέτοις ἐφέρου. Γραμματεῖς  
δὲ φημι, τοῖς ἐρμηνευομένοις νομοδοδιδασκάλοις. Συνησαν γὰρ αὐ-  
τοῖς καὶ οἱ νομικοί. Quæ verba à Cornario sic habemus interpre-  
tata, ceu discrepare voluerit Epiphanius νομικῶς à cæteris, quos  
eosdem faciat: & id probat in Cornario Josephus Scaliger, cum quo  
alii quamplurimi discrimen assignari cupiunt, & Epiphaniæ aucto-  
ritate, & Luca testimonio opinionem suam stabilientes. Elench.  
Trihæres. p. 286. Verùm in Cornarii expositione non vult acquies-  
cere Dionysius Petavus, qui Scaligerum, inde perperam sua proba-  
re ingredientem, ut est vehemens, & Josepho inimicus, aculeatis verbis  
perstringit. Factunt pro Petavio, cum quæ præcedunt in verbis Græcè  
citatis, tum quæ mentionem νομικῶν insequuntur, & Tertulliani inter-  
pretatio ipsi pariter favet, à quo νομικῶς doctores legis expositos ha-  
bemus. V. animadvers. in h. l. Tertullian. Lib. IV. contra Marc. c. 27.  
Alioqui Scaligerum nemo non refellere tentavit, postquam quidam  
figillatim ipsum est aggressus, unaque Cameronis opinionem con-  
fecit, qui, ceu publicè pars illorum hominum, pars privatim docu-  
issent, ita ipsos discriminavit. Similiter ferre non potuit, quòd du-  
plices Scribas à Scaligero excogitari vidit, populo alios, alios legi  
consecratos & addictos, quos ipse longè aliter discrevit, convulsisque,  
fundamentis parum adversariis fecit reliqui, quod contra in acie  
locare, & magnoperè jactare possent. Frid. Spanhem. Dubior. Part. II

p. 400. Atque ut quamplurimi in hujus viri sententiam concesserunt, ita diffiteri non possumus, nobis videri discrimen haud posse esse eximium, quandoquidem intelligimus, vocabula manifestò inter se permisceri & commutari. Et de Epiphanio perspicuè patet, eum nihil Scaligero favere. Si verò conciliatio locum habeat, fieri potuit profectò, ut munia Scribarum dispertirentur, etsi nullum esset insignne discrimen, neque ita divellerentur, ut adversarii volunt. Sed de de ista dispertitione rursus iterum in apertas pugnas, quas sedare nemo potest, etiam qui magnam diligentiam adfert, laborisq; plurimum insumit. Quæ cum cogito, assentior cause sublati discriminis, & auctores facile excuso, tum emolumentum hinc proveniens accepto, quòd compendio velut sic intelligitur rectissimeq; conficitur, Gamaliel fuisse magna sapientiæ possessione locupletatum, & utriusque legis disciplinam tenuisse, quæ sic distingvi haud factè omnino potest. Et verò si confiteamur, differre νομοδιδασκαλίας, νομικας, & γραμματικας, tamen de cognitione traditæ legis nulla potest esse dubitatio his, qui catenam sibi ob oculos statuunt. Adde principatum in Consilio reipublicæ & academia, & perinde facient, qui δευτερωσεως ipsum latuisse velint, aut de reliquis intempestivè præfracteq; contendant, ut qui lucem & solem in media die negare audent. Vid. præter Theologos nostrates, Leusdenius in Philologo, p. 155. Hottingeri Thesaurus, p. 75. Lightfootus Anglus in Luc. XI. Drusus Lib. 2. de trib. Sect. cap. 13. Conf. Beza in Not. major. ad N.T. De origine sollicitis Hieronymus audiendus foret, nisi traderet, familiam Scribarum ex Hillelis & Samei disciplina prodiisse, cum apertum sit, eos diu ante in populo Judæorum inveterasse. Equidem foret admodum jucunda ejus opinio, quoniam ita Gamaliel subinde ad avum suum perduceretur, modo vera esset, ac sibi constaret. At enim si Epiphanio se permiserit aliquis, & aliis insuper, qui triplicis familiæ origines inquirunt, Hieronymo assentiendum foret, ita enim prior insit: Μετὰ τέτταρσι Ἰσραηλιταῖσι Σαδδουκαῖσι Γραμματεῖσι γεγονάσιν, ἀπὸ μέσων δὲ χρόνων, καὶ σὺν αὐτοῖσι τὴν ἡλικίαν κατέγοντες, οἵτινες ἤσαν δευτερωταὶ τῷ νόμῳ, ἢ γραμματικὴν ἢ τὴν Πιστὴν ὑφ' ἑαυτοῦ. Hi autem, quanquam in cæteris Casaubonum probent, hac in parte ipsum sequi non existimant consultum, ac trium sectarum primordia ultra Hillelem protendi infician-



*ficiantur. Quæ de re mox erit differendi locus. Unum interim Epi-  
phanii recitationem juvat, si de illo tempore exponas, quo Scriba in-  
signiter se efferre, & amplissima dignitate florere cœperunt. Secus  
enim opinio ista graviter est reprehensa, quæ Saduceos & Scribas in  
eandem ætatem incidere vult, cum hi longè is vetustiores soleant  
poni. V. Hieron. in Es. cap. 8. ubi ex Pseud-Evangelio Nazareo-  
rum, scripto apocrypho, neque ab optimis auctioribus profecto, quæ  
acceperat, aliena fide ab ipso referuntur. Conf. Epiphani. Hæres. XV.*

4. Ab hac contemplatione ad aliam de-  
labor, non minus necessariam aut jucundam,  
quæ sectam & religionis institutum continet,  
cui se Gamaliel addixit, quem etsi Lucas Pha-  
risæum haud scripsisset, tamen ad illam fami-  
liam pertinuisse, fortassis non inepta probatio-  
ne conficeremus. Etenim quæ hoc argumen-  
tum contingunt, & huic disputationi includi  
non possunt, & in separatis Voluminibus inve-  
niuntur, qualia à Drusii Scaligerique industria  
profecta olim edita quæ miramur, cum occa-  
sione Hasidæorum acerrimè ipsos Serarius op-  
pugnare instituisset. Qui homo etsi infulsus  
esset quandoque, & mordax, tamen magnitu-  
dine periculi, quod à tantis adversariis impen-  
debat, minimè absterritus, in contentione per-  
severavit, quædamquæ inferuit non prorsus  
contemnenda. At nos ea haud attingimus,

C

modi

modi & propofiti tenaces, neque curamus quidem, utpote de aliis solliciti, quæ & huic negotio conveniunt, & Gamalielem præcipuè implicuerunt. Cujusmodi fuere: initium ortusvè celeberrimi instituti,\* diversæ à Scribarum & Sapientum consiliis rationes,\*\* nec non humanitatis clementiævè sapientissima honestissimaque consuetudo.\*\*\*

\* De natalibus ita apud plerosq; est, nomen recens, sectam ipsam ad Antigonem tempora esse retrò perducendam, quæquam & nomen satis vetustum sit & nobilitatum: hujusq; opinionis munientia gratia Chronicon templi secundi, & Josephus allegari consuevit. Quod certè sapientius fieri judicamus, quàm si quis ad Serapionem se recipiat, à quo auspiciam quidem Viri Synagoga M. incrementa verò & progressus Hilleli Samaoq; accepta feruntur: nam ut prius sine controversia est falsum, ita posterius, etsi facilius concilietur, tamen idoneam probationem vix obtinuit. Equidem pugnat adversarius Hieronymi testimonio & asseveratione: at neque id significare videtur, neque si faceret, continuò ipsi fideremus, qui à Doctore suo miserè fuit in multis deceptus. Non posse verò sic intelligi, Zacuthii recensio, & historia Ben Dior de Aquiba plus satis ostendunt. Ceterum ut hac sic habemus, ita dubium non est, divisionem, quæ Hilleli & Samaei consensum interturbavit, familiasque afflixit & collisit, huc planè nihil pertinere: quæquam ipsum negotium Gamalielem attineat, quem avi sententiis se applicuisse, pondusq; non exiguum dedisse suspicamur. At enim hoc illepidum est, è tali distractione id velle efficere, ab Hillele Phariseos non modò pependisse, sed originem insimul, separatasque rationes hinc habuisse, velut ductas primò & derivatas. Scilicet illud fuit, quod Spanhemium in errorem induxit, quem non sine turpitudine erravit, cum non posset ipsum quidem fugere, utut incertum sit, tamen ad Hillelem ejus sectæ initium haud oportuisse referri. V. Not. in Capitula

Patrum,

Patrum, p. II. *Ceteroqvi penes sapientissimum Patrem hac perscri-  
pta reperiuntur: Duas domus Nazaræi duas familias interpre-  
tantur, Sammai & Hillel: ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisei,  
quorum suscepit scholam Akibas, quem magistrum Aquilæ Prose-  
lyti autumant. *Sequentia vid. loc. allegas.**

*\*\* A Scribis Phariseos ire in diversum, nemo non videt, ni-  
si quod Baronius tam demens est, ut istos necessariò ad hos pertine-  
re opinetur: cujus rei causa Hottingerus Elmacinum quoque casti-  
gavit: nam Baronium Casaubonus fricuit, quando nec Sodales tam  
insipidi fuerunt, & saniora commentari sunt aggressi. Vid. Exercitat.  
I. ad Annal. Conf. Cappell. Vindic. Casaubon. lib. 3. c. 12. Maldo-  
nat. ad cap. 2. Matth. Add. Theophylactus in Luc. 11. Interim in-  
ficias non eo, plures existo ordine ad horum institutum accessisse,  
& Epiphanius sic utrosque discriminat, ut Phariseos severior ad-  
strinxerit saltem disciplina. De Sapientibus autem ita existimant,  
eos planè à Phariseis nihil differre. Est in Capitulis Patrum egre-  
gius locus, qui Iosen Casma filium sic loquentem introducit: se esse  
ex urbe magna Sapientum & Scribarum. Drusius ait, à Commen-  
tario, quem habeat in hunc librum, à doctissimis Ebraeorum Magi-  
stris compositum, id perhiberi omninò, quòd Sapientes de Legibus  
& Talmudica inventa, Scribæ autem literam textumq; caluerint,  
diligentiq; sua illustrarint. At enim quicquid sit de auctoritate te-  
stimoniique hujus pondere, à me quidem impetrari id non potest, ut  
credam, Scribas Phariseis sic opponi, quemadmodum Sapientibus op-  
posuit adversosq; Drusius locavit. Et siquidem Nomodidascali cum  
Scribis conveniant, recidantq; in idem prorsus, adhuc minus assentior,  
qui ne illud quidem inde confici existem, Phariseos Sapientibus re-  
spondere. De Gamaliele autem neutiquam putaverim errare, qui  
è conjecturis sapiunt, curq; ad eam sectam potius, quàm ad aliam  
voluerit deflectere, studiosius nonnihil tempestiviusq; quarunt.  
Quod enim legem docendam sumpsit: quòd opinio populi & prestan-  
tia familia hujus, inq; eam honestatis studium & simulatio plurimos  
allicuit: quòd avus cum Samao in eodem instituto perseveravit, etsi  
dissensiones intervenirent: sicut Sadoci & Baithi litigationes haud  
impedierunt, qui ab ipsis descenderent, Saduceos appellari: quòd alia  
plura fuerunt in tali disciplina excellentia, & cum decore conjuncta:*

id omne hic considerari debet, & ejusmodi est, ut Gamaliel impu-  
lisse consentaneum sit, ac ceteroqui ita habet, ut aliis vix posset esse  
insertus & mancipatus.

\*\*\* Clementia & humanitatis encomium, etiamsi saepe ab  
ipsis corrumpatur, in universum tamen sollicitari convelligi non de-  
bet: sic enim Salmanticensis loquitur, & Chronicon Templi secun-  
di, & ea narrat Josephus, à quo Pseudo-Gorionides haud dissen-  
tit, ut dubitare sit nefas. At enim istud queritur, utrum in presenti  
negotio debeat spectari, & num Gamaliel tangat, quando in pu-  
blico judicio adversus alteram factionem sensit, & in supplicium capi-  
tis coeuntes tempestivo sermone flexit ac emollivit? Fuisse enim con-  
trariis studiis, & in negotio religionis, & in republica Phariseos ac  
Sadoci discipulos, plus quam manifestò constat: & Saduceos quidem  
longè severiores extitisse, atque iudicia prorsus crudeliter exercuisse,  
Josephus exemplo Anani confirmat. Sanè non ad humanum consilium  
omnis ferri debet interpretatio, ubi altior vis intercessit, ne id per-  
ficeretur, ad quod Pharisaeus Zelus haud minori aliàs contende-  
bat impetu & ardore. Interim ut prius diffiteri haud oportet, sic  
presentis Concilii facies, in quo Saducei plurimum valebant, & ex-  
empla alia praeterea, vel ex ipsa Lucae recitatione assumenda, & ex-  
pressio Pharisaei instituti, & ut quidam addunt, νομοδιδασκαλῆς  
mentio, singula efficiunt, ut crederes, eum se opponere & sermocinari  
adversus immanem partis illius atrocitatem. Potuit tamen u-  
trumque intervenire fortassis, ut civile propositum eum ad lenio-  
rem sententiam inclinaret, & magnus rerum Arbiter, cujus causa  
praecipuè agebatur, voluntatem ipsius perpulerit, ne quorum vita non-  
dum finiri debuit, ex decreto Senatus interficerentur. Quod si clan-  
culum Christianae fidei se addixisset, perspicuum foret, haec simplici-  
ter saltem recitari: sed de eo quid statuendum sit, paulò post pa-  
tebit. Vid. praeter Triumviros istos, Joseph. Ant. l. 13. c. 9. l. 18. c. 2.  
Tertull. de Praescript. adversus haeret. Euseb. Hist. Eccles. l. 2. c. 23.  
Epiphan. loc. cit. Svidas &c. Conf. cum Chokieri Face Histor.  
Godvin. l. 1. c. 10. ubi & de nomine agitur, & dogmata sectae  
rationes fusius explicantur.

5. Nunc

5. Nunc progregior ad dignitatem, quam  
in republica gentis suæ noſter tenuit, & præ-  
clara ſapientia factisq̄ve pulcherrimis ornavit,  
inque primo Synedrii loco, & ſummi Præſidis  
munere poſitam, cum virtute explevit, tum la-  
bantem repoſuit ac conſtabilivit. Etenim quic-  
quid habemus, quod de Concilii hujus forma,  
de Senatorum numero, de ipſorum prudentia  
& auctoritate afferri poteſt ac celebrari, id e-  
juſmodi eſt, ut Gamalielis magnitudinem in-  
dicet, & ſplendorem declaret. Et verò quis-  
quis vellet hæc ex omni tempore \* æſtumare,  
quo Synedrium fuit, næ eſſet homo inficetus  
& ridiculus, propterea quoniam non paucas  
mutationes olim eſt perpeſſum: & nobis ea  
tempora inſpicienda ſunt, quæ Gamalielelem ipſi  
Principem tulere. Sanè ſi antiquitus quæ fu-  
it, eam nobis faciem repræſentemus, oppidò  
videre eſt, non modò ad poteſtatem nihil am-  
plius, ſed etiam ad ſplendorem nihil auſtius  
reperiri, quàm quod in Senatu illo contineba-  
tur. Extabat compoſitus è ſeptuaginta viris,  
quorum natales, eruditio, virtutes, & rerum

C 3

uſus

usus, diu essent spectata, potentia verò talis, quæ res sacras & profanas, judiciorum civilium & capitalium disciplinam, omniumque ordinum homines, imperio suo circumscriberet ac ambiret: quæ quò solutior esset triumvirorum & viginti trium virorum collegiis concessa, hoc splendidius eluxit in Synedrio M. reliquorum vim & auctoritatem eminenti ac peculiari ratione complexo. Cùm ergò non nisi sapientissimi viri per vetus institutum in istud legerentur, Maimonidis testimonio is, qui divinarum & humanarum rerum scientia omnibus antecelleret, caput & princeps adsciscebatur, cujus majestas adeò exsplenduit, & multitudinis judicio reverentia digna est visa, ut ingredienti universus populus assurgeret, neque nisi ab eo compellatus jussusque consideret. Hæc tamen omnia, utut diu ab initio servata, multaque religione ceremoniave custodita, circa extremam ætatem, insigni conversionis atque ancipitis fortunæ exemplo, labefactari primum, post everti ac pessundari coeperunt. Mansit quidem curia, & Senatorii Ordinis cùm  
spe-

species amplissima, tum gravissimus sanctis-  
musque cultus, neque de statione sua decesit,  
quamdiu respublica populosa fertilisque pro-  
vinciæ jus suum tenuit, & illibatum potuit ser-  
vare. At ubi Hasmonææ stirpis furor omnia  
turbare est ausus, & victor orbis Populus Judæ-  
am vel Præsidum libidini concessit, vel regibus  
à se constitutis gubernandam permisit, quan-  
quam prisca mores, & antiqua gentis tribunalia  
non protinus cessarent, tamen in deterius ver-  
gere, nec mediocriter convelli ac turbari vide-  
bantur. Itaque jus quidem ipsum, & auctori-  
tas judiciaria, ex illo tempore non statim pror-  
sus interibat; sed quò minus se proderet in  
quoslibet scelestos ac maleferiatos, atque item  
executioni mandaretur, quod senatus decre-  
visset, Dominorum superbia insolentiaque obe-  
rat, sæpeque numero intercedebat. Unde la-  
xatis imperii habenis, & sicariorum flagitia cre-  
verunt, & Synedrium ipsum impunitatis tædio  
ex ista basilica migravit, in qua justitiam eludi,  
reosque meritas effugere ac declinare poenas,  
cum instituto vetustissimo indignum, tum  
exem-

exemplo noxium damnosumque judicabant. Accessit aliud incommodum, quod ad Principes præcipuè spectavit, sacerdotum amplificati honores, & conditio longè melior inclinatis istis temporibus, quàm olim quidem sub primo templo, exorsuque regni fuisset. Igitur cum initiò sacri Ordinis nulla foret singularis prærogativa, & promiscuus virtutem comitaretur ac eveheret honos, sub imperio Hasmoneorum secus fieri, Sacerdotiumque ad summam rerum grassari cœpit, donec omnis judiciorum potestas in Pontificum manus ad ultimum consignaretur. Indicat id Julii Cæsaris rescriptum, quod Hyrcanum Alexandri filium in hoc fastigium evexit, & quæ obtinuit, insecuto tempore, regnandi libido & consuetudo, quæ Cæsarium & Regum beneficio non modò Pontificis Maximi ratio haberi debuit, sed primoribus hujus ordinis in Concilio sedendi cessit amplior liberiorque facultas, imò id sequutum est, ut de ipso Senatus Principe legendo non vetus mos aut usus denique consuleretur. Quamquam enim Pontifici supremo ne tum

qvi-



quidem ex solo isto munere' competeret præci-  
pua Senatûs dignitas, fieri tamen potuit, quâ  
rerum summa potiebatur, ut vel ipse synedrio  
præesset, vel alium præficeret, qui suo loco id  
gubernaret. Ex qua perturbatione hoc con-  
secutum est, ut sicut ipsum Pontificatûs fastigi-  
um desultorium fieri cœpit, ita principatus istius  
dignitas non amplius haberetur perpetua &  
constans, sed mutatu perinde esset facilis, ut vi-  
ctoris licentia & arbitrium ferebat. Quare &  
Romani interdum sibi aliquid in ordinando  
Concilii Præsidi permittere consueverunt: &  
alii subinde fuerunt, quibus hoc, quicquid est,  
honoris ex disciplina gentis & consuetudine ve-  
teri debebatur: alii facto irrepsere, victorum-  
que iudicio & potestate sunt constituti. Quæ  
calamitas ne otiosè videatur nunc à nobis com-  
memorari, Gamalielè omninò implicuit, &  
sicut ex his, quæ deinceps differemus, apertius  
patebit, non leviter dignitatem & jura ipsius  
conturbavit. Interim duravit perstititque  
Procerum Senatus, & quanquam sæpenumerò  
in jure suo impediretur, tamen ante excidium

D

aucto-

auctoritatem non penitus amisit. Imò etsi  
nonnunquam intermitteret, quæ exequi non  
fuit ipsi integrum, tamen neque loco pulsus est  
aliquo Principis aut Superioris decreto ac jussu,  
neque ita feriari voluit, quò minus exempla sta-  
tueret, ac subindè imperium & jus suum usur-  
paret. Prætereà qui ordinem debuerunt mo-  
derari, etiamsi vel Pontificum ambitione pre-  
merentur, vel planè interdum exciderent prin-  
cipatu ac munere suo, nihilo secius opinione  
hominum potuerunt frui, quæ de ipsis fuit, &  
de jure insuper suo gloriari, quod à Magistris  
magnificis laudibus prædicatur, & ex quo per-  
petua successionis catena conficitur. Est à  
Gedalia Sapiente hoc perscriptum è Talmu-  
dicorum sententia, quoties quis ad præci-  
puam dignitatem fuisset admotus, eam non  
modò ad ipsum, sed etiam ad posteros ejus per-  
tinuisse, si hi quidem idonei reliquis videren-  
tur; ex quo hæreditarium jus fuisse ortum faci-  
lè perspicitur, quod in Hillelis familia singula-  
ri concessione postremùm inveteravit. Quem  
igitur locum ipsos Reges occupare minimè pu-  
duit,

duit, hunc Gamaliel noster natalium & meritorum beneficio adeptus insigniter cohonestavit, prudentissimeque consultis effecit augustiorem, quodque in se fuit, hoc dedit operam, ne in sua amplissimi Ordinis auctoritas potestasque convelleretur.

\* Extant longae concertationes de aetate & origine Synedrionum, principatui temporibusque Mosi à quampurimis illigata, quae de Sigonius, Menochius, Galatinus, elegantissimaeque Scriptio- nis auctor Cunæus, cum multis aliis sententiam suam exposuerunt, & scripturam ipsam à partibus suis stare, reliquis persuadere laborârunt. At enim Bonaventura Cornelius Bertramus, quem de Rep. Hebr. editioni Emperii debemus, aliquantum dissentire maluit, quam natales ex Aegypto non arcessere. A quo proinde abeundum duxit, non minus ac à prioribus, Hermannus Conringius, quippe cui verosimilius videtur, Synedrionum constitutum esse post captivita- tem Babylonicam, & quidem maxime Hasmonæorum tempore, ad effigiem Senatûs, à Josaphat orege ordinati, cujus fit mentio in Para- lipomenis. Exercitat. de Republ. Hebr. XXXVII. Accedunt ad hanc opinionem, in quantum adversum tenet aliis, Frischmutus Jenensis, à Seldeno alicubi indignius tractatus, & Dionysius Petavius, qui ante utrumque contrariam sententiam amplexus est, & admodum recens initium excogitavit. Pererius prorsus inficiatur Synedrionum fuisse, quem Menochius rectè confutavit, & Abulensis auctorita- tem, nec non Pinedæ & Serarii nomina tempestivè ipsi opposuit, ac id omne negotium baud absurda ratione expedivit. Nobis oblecta- tur institute disputationis & series & modus, ne hæc operosius subtili- usve disquiramus, aut refecemus omnia ad vivum, quæ vel vocabu- lum concernunt, vel ad rei explicationem uberiores attinent. Ut- pote quibus ista perinde sunt facienda missa, ac Thomæ Bilsoni sen- tentia peculiaris, quæ eum Senatuum à Servatore Christo, amplificata ipsius Ecclesia, institutum denuò quasi, & magnoperè commendatum adfirmat. Quamquam, ut mihi quidem apparet, Sildenus eum au-

daeter secutus est, inq, quibusdam asserationibus & conjecturis amplexus. V. Thom. Billonus, de perpetua Ecclesiae Christi gubernatione, cap. 4. ubi de Synedrii jurisdictione agit. In universum verò de hoc argumento consuli queunt, quae à Viris Clarissimis jamdudum fuerunt occupata. Quae sunt, quae Schickardus ex antiquitate de Synedriis exposuit. Et plura nobis Gvilielmi mors invidit. Quae etiam causa est, cur ultimum librum Jo. Seldeni de hoc argumento non absolutum, sed mutilum habeamus: quo alias commentario nihil est praestantius, nihil in omni doctrinae genere mirabilius, unde de ingenio Viri, multiplicique variarum rerum scientia, statuere est in proclivi. Quin ex ipso Talmude non pauca capiuntur, imò fundamentum peti debet, praesertim cum Rabbinica diligentia accedit, & quod Summorum Virorum noctes posteritati tradiderunt. Sanhedrio quidem & Maccoth, Judaicarum Pandectarum Titulos, cum Excerptis ex Gemara utriusq, Coccejo Bremensi acceptum ferimus, qui tamen cum Seldeno comparari minimè debet, & cujus de Gamaliele quae invenio, non usquequaque rectè habent. Sed id etati condonari potest. Maimonidis locum de Synedriis Wagenfilius allegat, & Raimundi Editor Latinitate olim donavit. V. Sotta, pag. 15. Schickard. Jur. Reg. cap. I. Theor. II. cum his, quae Celeberrimus Carpzovius ibi annotavit.

6. Huc autem quoniam delati sumus, recedere non licet prius, quam historiam Apostolorum, & quae in ea de Gamaliele sunt, diligenter inspiciamus, quoniam officium, quo perfunctus est, attingunt, aut tamen ab illo aliena non queunt judicari. Enimverò si Drusius sapuit in hac re, dubium erit, quis Apostolos supplicio liberarit, & multa venient in periculum, quae attulimus partim, partim exposuimus &

& interpretati studiosè sumus. Non enim ex-  
plorati modò nihil habet in priori Commenta-  
rio, ubi ad Gamalielè delabitur, sed in Præ-  
teritis quoque optionem facit, quem eligere  
quis cupiat, Filium Simeonis eundemque Ne-  
potem Hillelis? an Gamalielè Senem, cuius  
Filius ad excidium duravit, & ruina patriæ rei-  
publicæque fuit involutus & oppressus? Cæte-  
rùm ipse, prius quàm erraret (est enim magna  
procul dubio hallucinatio, putare diversos, qui  
unicum efficiunt) excusavit pronunciatum, o-  
tium sibi defuisse conqvestus ad diligentius co-  
gitandum de proposito negotio. Ideò ne no-  
minamus quidem, qui & Drusium secuti, & ab  
eo inducti sunt, ne disertam promerent senten-  
tiam, quia in eadem causa iisdem rationibus e-  
vadunt fermè & absolvuntur. Interim magna  
consensione reliquorum Gamaliel nostras est is,  
quinecem Apostolorum impedivit. Sunt in  
eam rem præstò testimonia Judæorum, quæ  
Lucæ elogium stabiliunt mirificè: conveniunt  
indicationes temporum: adest summa Senato-  
ris dignitas: non sinunt dubitare de *νομοδιδά-*

σκέλες sapientia hæ, quas in Principe Catenæ  
necesse est fuisse, literæ: Pharisaica Disciplina,  
opinio & auctoritas viri, reliqua quibus rem-  
conficere oportet, singula utrobique clarè  
sunt perscripta: & nullum scimus, qui ex illa æ-  
tate huc pertineat aut trahi possit. Igitur be-  
nè Galatinus, quòd cum confidentia id affir-  
mat, cuius adeò sibi constant & tam probè mu-  
nitæ sunt rationes. Quamquam quòd Gama-  
lielem idem fecit Ebraicè loquentem, hac cum  
causa complicatum non sit, neque disquisitio-  
nem quidem mereatur.

7. Meretur autem, planequæ connexum  
est cum hac disputatione, quod de D. Pauli ma-  
gistro est in Actorum recensione consignatum.  
Neminem ferè novimus, neque credimus qui-  
dem fore, qui hunc honorem nostro velit ab-  
rogare, quem potius cuncti impertiunt, gra-  
vibus causis ad id inducti. Etenim qui Pau-  
lum cogitant è ludo Tarsensi, olim à Strabone  
non mediocriter celebrato, Hierosolyman-  
commigrasse, ut Theologiam disceret: ritus,  
leges, cerimonias, consuetudines Judæorum  
hau-

hauriret : placita, disciplinam, ac rigorem severissimæ familiæ imbiberet, animoqve complecteretur ; qui hæc prætereà sibi statuunt ob oculos, quæ antea de Gamaliele, quandoquidem id nominis fuit excellentissimo magistro, commentati & persecuti sumus ; næ illis quidem non amplius videbitur dubium, quoniam seni singula conveniunt, eidem neutiqvam oportere detrahi, quod ex istis conficitur, & proinde sine temeritate credi, maximum Virum in Concione Pauli commemorari, cujus nomine singulariter affici populum & moveri cupiebat. Certè enim nec majestatem Præsidis hoc dedecuit, quod maximè faciebat ad ejus amplificationem ; neqve alium temere Gamalielem ausis nominare, nisi eidem, cui Coccejus \* se implicuit, criminationi te obnoxium facere, culpamqve foedisimi erroris contrahere velis.

\* *Oscitantia quidem est non exigua, quòd Gamalielem II. Pauli Præceptorem vocat, p. 160. l. c. At verò rectius sibi cavet celebrissimus Seldenus, cujus elegans habetur observatio in Uxore Ebraica, ad quam ipse non provocat semel, & cujus sententiam bis ibi legere est verbis : Hilleli successit in principatu S. filius ejus Simeon, sive ex filio illo nepos Rabban Gamaliel, quem non ali-*  
um

um fuisse meritò cum viris doctis existimes à Gamaliele illo, *νο-  
μοδιδάκτω πάλω παντὶ τῷ λαῷ*, legis doctore honorabili  
universæ plebi, sive à toto populo honorato, cujus ad pedes  
D. Paulus erat *παιδευμένω κατ' ἀκριβείαν τῆ πατρῴας νόμου*,  
edoctus juxta veritatem, sive exactam rationem, seu rigorem  
legis patriæ. *Lib. 3. cap. 10. p. 324.* Nec aliud Grotius habet, orna-  
mentum hujus seculi; quocum Capellus & Lightfootus, nec non  
Jo. Christ. Wagenseilius in Sota p. 991. ut & multitudo interpre-  
tum statuit, etiam illorum, qui Pontificis R. doctrina & auctoritati  
assentiuntur. Neque Nostrates quidem quoquo versus abeunt ab  
hac opinione, quam Dannenhauerus haud improbat, edito quon-  
dam peculiari libello de Gamaliele, sed non omninò hujus incepti se  
instituti. Idem sentiebat Jo. Tobias Major, qui insuper morem di-  
scendi, quo de controversia est inter Samuelem Petrum & Josephum  
Scaligerum, doctis animadversionibus ediffertavit, ad cap. 22. Actor.  
Unum dissentire videmus, Guilielmum Henricum Vorstium, à quo  
cum illud esset refutatum, quod de Simeone commemoravimus, i-  
dem, inquit, judicium esto de Gamaliele I. quem plurimi opi-  
nantur fuisse Præceptorem Apostoli Pauli. Atqui his quæ conse-  
quentia cernuntur, neque dum planè sententiam hominis aperi-  
ant, neque si facerent, quicquam hujus dissensio nos moveret.  
Observat. in Chronol. Gassii, pag. 283. Ex adverso Jacobus  
Aliogius non modò cum aliis judicat, sed eò usque progredi-  
tur, ut id ipsum ex Judeorum monumentis se probare posse confi-  
dat. Initio quidem testimoniorum fide pugnat, quæ Talmudici  
Libri, & Maimonidis doctissime commentationes suppeditant, de Sa-  
muele illo Parvo, à quo precatio adversus hereticos est concinnata,  
Qui quidem si considerentur studiosius, juxta illa, quæ Hieronymus  
olim retulit de Minais, & Judaici Codices, in quibus cause hujus  
presidium statuunt, mox patere, Christianos esse. Jam ipsam Formu-  
lam recitat, Buxtorfii, Menassis, & Maimonidis diligentia labori-  
busq; usus, quæque præterea videntur facere ad communiendam fir-  
mandamq; opinionem, in antecessum & conquirat cum industria, &  
solicite disponit. Ipsa vero demonstratio sic habet. Quoniam  
Gamaliel primò utriusque & D. Pauli, & Samuelis Parvi adoles-  
centiam imbuere præceptis discipline suæ: secundò utriusque esse-



raverit animum, & feroces planè reddiderit contra Christiana fidei  
alumnos: tertio hujus acerbitalis quia uterq; illustres dederit signi-  
ficationes, quam diu quidem perduravit: & quarto cum remitteret  
planeq; deponeretur, uterq; ideò in gravem inciderint persecutionem  
odiumq; gentis sue: quinto quoniam reliqua omnia conveniant, tem-  
pus concepti & abjecti vicissim odii, etasq; amborum: nomen ipsum  
postremo haud ita differat, quin componi apteq; coalescere possit;  
sibi ista propter non videri amplius insiciandum, Samuelem à Judaeis  
Gamalielis discipulum assignari, qui Paulus Apostolus sit in historià,  
quae ad ipsum praecipue pertinent, & divina auctoritate conscripta  
fuerunt Actorum. Verum hac in disputatione multa sunt, quae pro-  
bari minimè possunt. Nam 1. quis sibi persuaderi sinat, Samuelem  
hunc audire Parvum Judaeis, quòd tum quidem non admodum  
grandi fuerit natu? Meliora apud Gedaliam inveniuntur, qui vel à  
Samuele Propheta sic distingui, vel ob summam modestiam sic no-  
minari confirmat. Et praestat hic ad corporis staturam confugere,  
sicuti fortè explicatio illa displiceret. 2. Quòd discipulus uterque  
Gamalielis nostri extitit, non propterea sunt commiscendi statim  
unusq; habendi. Nam in eo quidem sunt maxime difficultates, quò  
pacto Gamaliel tam subito mutaverit animum, èq; summa mansue-  
tudine & equitate in extremam sevitiam repente degenerarit. 3.  
Est etiam illud cum gravi dubitatione conjunctum, quòd de Formu-  
la suspicatur, & Pauli consilio, qui eam usurparit ad violandas mi-  
serorum conscientias, & extorquendam assensionem. Quid enim?  
hujus rei nullum prorsus comparere hinc vestigium, ubi occasio ferebat,  
locusq; erat maxime oportunus, in quo recitaretur? & numnè reco-  
gnoscere nobiscum potest, rem illam, quae in Formula continetur, per  
se esse valdè implicitam, multisq; contentionibus agitatum? 4. De  
odio consecuto repentinam immutationem, ex ingenio quaedam com-  
minisci oportet, quaedam istuc trahere, quòd aliàs nequaquam perti-  
nebant. Nam hoc quidem accidere Viris doctissimis intelligimus, ut  
primò opinionem aliquam arripiant cupidissimeq; amplectantur, quam,  
quò jucundior est, eò majori studio defendendam sibi sumunt. Post  
argumenta dispiciunt, & conjecturas quaslibet usurpant, ne edifici-  
um minus alacriter prompteq; ad fastigium perductum, quam cœ-  
ptum videatur. 5. Quamquam igitur de tempore consentiremus &

E

etatis

etatis utriusq; & migrationis amborum; tamen 6. tanta est residua  
de nomine controversia, ut conciliationem vix sperem. Et agre si-  
nent à se impetrari, qui Auctoris consilium perspexerunt, ut ipsi  
mox assentiantur. V. Schil. Lib. 4. 35. & seqv. Conf. Tribechor.  
Exercit. in Baron. Sane Altingius mirificè laborat, ut Hillelianam  
stirpem Christo vendicet atq; concinnet. In quo sibi interdum non  
consulit, lectoremq; necessario offendit, neq; in istis accurationis lau-  
dem ubiq; reportans, neq; in bis, quæ de Christi judicio meminit, satis  
diligentia studiūq; insumens. Videlicet Gamalielē senatui pra-  
fuisse, arbitrumq; negotiorum sedisse existimat, cum Christus in vin-  
culis esset, causamq; dicere in Concilio juberetur. Quod neq; ab  
etate senis abborret, neq; istiusmodi est, ut improbari à quoquam  
aut refelli potuerit. At id quidem memorabili negligentia est im-  
putandum, quod semper de Concilio ita loquitur, quasi tūc migrā-  
rit Jamniam, neq; unquam reversum fuerit postea. Sic enim de  
Paulo habet, eum literas fiduciarias petiisse à Sacerdote Hierosoly-  
mis prasente, quòd Princeps Senatus abesset, & in civitate Jabnensi  
moraretur. Cedò jam, quò de Christo sententiam ferre potuit  
quod in urbe esse diu desierat? Quomodò de Stephano aliisvè sup-  
plicium fuit sumptum, reliquaq; sunt peracta, quæ negari non pos-  
sunt? Et hoc ipsum iudicium, quod celebratur Gamalielis modera-  
tione & æquissima sententia, quo quæso pacto consistere dicemus,  
quandòquidem senatus reipublicæ vetus domicilium non habuit  
aut repetivit?

8. At enim aliquid gravius restat de Ga-  
maliele nostro expediendum, institutum nem-  
pe religionis purioris, quam Christianam fuis-  
se, credulitas quorundam sibi persuaderi sinit  
vetusq; libido mendaciorum & superstitio  
comminiscitur. \* Equidem servit laudationi se-  
nis, tūc per se pulchrum est & valdè elegans  
spectaculum, in familia nobili & antiqva vide-  
re

re quatuor clarissimos Viros, cœlestis doctrinæ sapientiæque luce collustratos, & amore mirabili flagrantes. Quorum priores una prope modum causa continet, in qua leviter hactenus & modestè versati sumus: Ultimum verò par Epiphanius recenset, & quod de ipsis perhibendum foret, luculenta & proluxa narratione testificatur. Verùm quemadmodùm de his haudquaquam nobis ita constitit, ut ad Catenam referre, stirpiq̄ve vindicare & adjungere possemus; sic in uno illorum, qui Pater est Gamalielis, jam spes defecit ac expectationem destituit, in altero ruet concidetq̄ve penitus, neque minorem commenti auctoribus relinquet fidei labem, quàm existimationis jacturam, quam qui sic prodigere sustinuerunt, meritò sibi imminui & abrogari patiuntur.

\* *Fabulam Epistola firmare debuit, quam Luciano Presbytero assignant, & in qua Gamaliel sic loquitur: Lapidatus est (Stephanus) à Judæis & Principibus Sacerdotum, in Jerusalem, pro Christi fide, extra portam, quæ est ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar. Ibi die ac nocte jacuit projectus, ut sepulturæ non daretur, secundum mandatum impiorum Principum, ut à feris consumeretur corpus ejus. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum unum ex his, non fera, non avis non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere*

mercedem à Domino, & partem cum Sancto Viro fidei, mihi per noctem, quantos poteram, religiosos Christianos, & in Christo Jesu fideliter credentes, habitantes Jerusalem in medio Judæorum: & hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministravi, ac persuasi illis ire occultè, ut portarent corpus ejus meo in vehiculo ad villam meam, hoc est, in Caphargamalam (quod interpretatur Villa Gamalielis) viginti millia habens à civitate. Et ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in meo monumento novo in orientali theca: & præcepi meis, ut quæcunque necessaria erant pro ejus planctu, de meo darent. *Hactenus Epistola Luciani, de inventione Stephani Martyris inscripta. Cujus argumento consentanea esse, quæ Hieronymus ad Paulam perscripsit, ad Riparium item, nec non adversus Vigilantium, Baronius falsò est persuasus, quoniam præter planctum, in funere Stephani agitatum, nihil hujuscemodi penes ipsum est invenire. Caterùm in Commentario Clementis, qui Recognitionum nomine celebratur, & falsò auctori illi tribuitur, Petrus ipse Gamaliel Christianum coactus est pronunciare, sic enim ibi ad finem: Latenter, inquit frater noster erat in fide: sed consilio nostro inter eos erat. Apostolorum consilio fuisse vult in Judæis, fidemq; celasse, ut Pontificum machinationes & insidias dissiparet. Atque hoc apocryphum testimonium & à Beda citatum est, & assensu comprobatum. Apud eundem verò Clementem de supplicio flagrorum sic differitur, id de Apostolis fuisse sumptum, de Pontificum voluntate, non Gamalielis sententia, qui avertere nequivit. Porro Luciani historia confirmat, qui sic de Stephano sermocinatus est, hunc pariter Gamaliel retulisse, se cum primo martyrum eidem olim illatum tumultu, & à fidelibus compositum fuisse. Hinc tali admonitu, ut ibi quidem narratur, & simul reperta fuerunt sanctissimorum hominum reliquie, & unà honestiori loco donate, eiq; rei Lucianus non modo interfuit, sed presuit quoque. De tempore autem non conticescit Epistola, sed annum allegat, qui Honorium decima vice, Theodosium verò sextum Consules vidit, qui quidem annus vicesimus primus fuit imperii prioris. Etsi igitur Bedæ & Adonis testimonio, Honorii septimus annus indicetur, tamen qui Luciano fidunt, ibi mendam suspicantur à librariis illatum.*

Hunc

Hunc autem illis anteponunt propterea quoniam Marcellinus in Chronico, & Nicetæ Oratio, inventionem talem eodem tempore insigniverunt. Qua ex recitatione jam constat, quæ factum, quod plerique Romana Ecclesia addicti Gamaliele inter Christianos velint recenseri. Est istud videre in Martyrologiis ipsorum, quæ ceu vera pietatis alumni ipsius meminerunt; & Baronius in suo non omisit, multa quæ in annotationibus observavit, quæ huic negotio conducunt. Nec abeunt longè, quæ Gaspari Sanctio complacere, & Cornelio à Lapide, & Lorino, reliquisque ex eadem disciplina ac familia. Qui non modò ab Annalium Conditorum (nam & ibi studuit banc fabulam defendere) ejusque Epitomatore nil alienum afferri judicant, sed de Condiscipulatu Pauli insuper mirifica fingunt, unaque Abibonis Filii, si Dñs placeat, & Nicodemi corpora inventa agnoscunt. At in eo Sanctius turpissimè hallucinatur, quòd Chrysostomum commentis suis favere existimat, secus ac Sodales ipsius fecerunt, qui Patris hujus auctoritatem sibi obstare sunt conqvesti. Baron. in Martyrolog. Roman. Aug. II. p. 473. Conf. Annal. ad A. C. 34. CCLXXV. p. 234. & seqq. Spondan. ad h. a. LXXVIII. p. 43. & seqq. Sanct. p. 129. Cornel. à Lap. p. 125. p. 125. Lorin. p. 260. p. 260. Commentarior. suor. in Acta. Add. Petav. ad Epiphan. Hæres. XXX. p. 55. Nondum finis verò mendaciorum, dum locus, in quem asportata sunt corpora, novam ineptiendi fingendi que occasionem suppeditavit. Est in manu faceta inscriptio, quam apud Pisanos in basilicæ ara, cum Italiam lustraret Wagenseilius invenit. E qua istud sit principio apertum, quæ de Gamaliele, Nicodemo, & Abiba sunt reliqua, ibi asservari. Deinde talis ordo conficitur, ut Gamaliele Nicodemus, Nicodemo Abiba putentur procreati, nam sic quidem ille legebat:

GAMALIELIS NICODEMI ET ABIBÆ  
PATRIS  
FILII AC NEPOTIS UT ECCLESSIA  
DOCET

E 3

CI-

CIVILUM TERRENÆ AC COELESTIS  
 JERUSALEM  
 FELICI TEMPORE PISANORUM TRA  
 DUCTA CADAVERA MARMORE  
 SUB HOC  
 NOVATO RECONDUNTUR.

*Hæc certè mirabilia & ineptiora sunt, quàm dici possit. Istud  
 verò admodùm festivum, quòd ad latus illius aræ tabella ferreis  
 catenis appensa cernitur, quæ tres imagines, Senis ætate provec̃ti,  
 viri medium florem nondum egressi, juvenisq; alicujus depictas re-  
 fert, & unà vota nuncupari jubet, carmine ob eam rem perscripto,  
 quòd subciendum putabamus.*

EPITAPHIUM.

Hoc in Sarcophago requiescunt corpora sacra  
 Sanctorum (quorum nomina dicta) trium,

Sanctus Gamaliel, Abybas, & Nicodemus,

Insimul ipse Pater, Filius, atqve Nepos.

Gamaliel Divi Pauli Didascalus olim,

Doctor & Excellens Israëlita fuit.

Consilii magni fideiqve per omnia cultor,

Narrat ut historiæ scriptor Apostolicæ.

Nobilis Abybas patris hujus filius almæ

Extitit, Angelica virginitate nitens.

Mosaicam legem callens quoque sic adolescens,

Credidit in Christum cum genitore pio.

Magna in Evangelio præconia sunt Nicodemi,

Dum sepelit Christi corpus honorificè.

Hic est ille quidem, qui se debere renasci

Audiit à Christo, denique martyr obit.

Hoc Epigramma legens horum suffragia quære,

Teqve recommendans posce salutis opem,

Quatenus ad Christum dignentur fundere vota,

Ut Paradisiacis donet adesse choris.

En

En quibus praesidiis haec causa fulciatur, & quò tendat, in qua  
tam diligentes sunt, rei dubia & explorata minus asseveratio sic  
confidens. Cui tempus est obviam ire, fabulaeque structuram & fun-  
damenta subruere, oppositisque argumentis demum omne istud, quic-  
quid est, expugnare & convellere. Ac initio de Clemente Baroni-  
us fatetur, cujus auctorem cum imperiti faciunt, esse apocryphum  
monumentum antiquitatis; ideo nihil affert, quod magnoperè ju-  
vet, fidemque conciliet, insecuta Bedae commemoratio. At nos hunc  
Clementem planè facessere jubemus & abire è medio, cujus quaecumque  
circumferuntur, videri orginis incertae suspectaeque auctoritatis, Bel-  
larminus haud inficiatur. Porrò Lucianum similis involvit fortu-  
na, quem dum Martyrologii Editor tanta confidentia tuetur, videt  
ille quidem, sine ejus testificatione rem demum esse conclamatum;  
at pudorem omnem amisit, quando à nemine de integritate epistolae  
dubitatum haecenus affirmat. Quid enim? an quoenquam ex ad-  
verso ita insulsum fore putabat, ut sineret se circumveniri fraudi-  
bus istis, fidemque haberet inscitissimis foedissimisque nugis? Quales  
sunt videlicet: nocturna denunciatio, discrimen religiosorum ac fide-  
lium, sepulturae honos Stephano negatus, miracula conficta, procura-  
tio funeris & planctus, denique stylus ipse, barbarus ille quidem &  
planè vitiosus, Hebraicusque passimè in Latina versis inquinatus, &  
Latinitatis omnis expers. Eat jam Baronius & Gennadii testimo-  
nio, Marcellini item, Bedae, & Nicephori auctoritate inventa sua  
muniat, quandoquidem etiam si Graecè fuerit Epistola conscripta  
primò, & ab Avito Marcellino Latine reddita, tamen implicitus ac  
irretitus tenetur, culpamque imprudentiae minimè omnium sic evitat.  
Tandem ut dijudicatio praesentis negotii facilior efficiatur, nos inter-  
ponere sententiam nostram nihil quicquam veremur. Certè enim  
si Christianus fuisset Gamaliel, vel in Judaeorum Codicibus erit quod  
fidem huic rei faciat: vel Historia Actorum ipsa praebebit indicia  
quaedam, talemque significabit: vel denique adversariorum testimonia  
ejusmodi erunt, ut in dubium vocari & solitari neutiquam pos-  
sint. Primum non est. Quinimò contrarium facile perspiciunt, qui  
quid ista Liturgia, dirarumque promulgatio sibi velit, accuratius expen-  
dunt. Quae talem vim habuit quidem, ut cum Viro doctissimo ni-  
hil jucundius accidere posset, quam si Gamaliel Christianum &  
Con

Confessorem haberet, constanter asseverare ausus non sit, & siquidem  
fuiſſet aliquando, mutationem repentinam animum ejus subiſſe a-  
liod<sub>3</sub> rapuiſſe confirmârit. Alterum similiter non adparet. Quippe  
ut prudentia est, & doctrina non vulgaris, quod Gamaliel in medi-  
um consuluit, pietatem tamen vix ostendit. Qui enim moderatio-  
nis tempeſtiva dant ſpecimina, periculaq<sub>3</sub> ab aliis propulſant, ne i-  
pſi fortè ſubire cogantur, tùm ferocitati nimia ſe opponunt, à qua  
ſemper abhorruerunt, ac inſuper divino nutu agitantur, ne cetero-  
rum rabiem prorumpere ſinant & Tragœdias excitare, hi non con-  
feſtim putantur Chriſtiani, aut in illorum, quos eripere ſtudent, ſen-  
tentiam & partes conceſſiſſe. Porro autem credibile non eſt, cum  
Historia tam diligens ſit in recitatioe illorum, quæ ad laudem vel  
ad dignitatem ejus pertinent, id quod graviffimum erat, maximumq<sub>3</sub>  
habuiſſet momentũ, ſilentio præterituram, quod in ſimili negotio non  
amavit. Planè verò ſunt adverſa, truculentia & furores diſcipuli, qui-  
bus rem Chriſtianam peſſundare tentavit, diſciplina altis radicibus  
auſpiciuq<sub>3</sub> fulta, appellatio Magiſtri, cum in extremo vitæ periculo  
verſaretur, & alia, quibus inducti Principes ſeculi hujus Viri impe-  
trare à ſe ipſis haud potuerunt, ut conjecturam hanc reciperent, &  
aſſenſu ſuo confirmarent. Ultimum quod adverſe partis copiam  
concernit, jam perquiſivimus nonnihil, & ſe ipſum ſatis implicat.  
Huccinè enim deveniendum erat, ut jam non Paulus duntaxat, ſed  
& Stephanus & Barnabas in ſocietatem diſciplinae reciperentur,  
quanquam Alexandro Monacho ſolus Barnabas ſit nominatus? At-  
qui iſtud Lorinus fecit, uſque eò inſipientia ſua progreſſus, ut Ju-  
dæis hitoriam aſſingeret, quæ ipſis nunquam in mentem venit, qua-  
ſi Gamaliel ad excidii tempora pervenerit, & Zaccaida interceſſio-  
ne fuerit ſervatus. Jam quid iſtud, quod Abibam Filium faciunt  
cujus ne nomen quidem rectè pronunciare nôrunt? Aquibam enim  
puto, intelligi cupiunt. Quæ malum! hæc eſt mentiendi libido? quæ  
inſcitia & ignoratio hitoria? quæ turpitudò, in quibus nihil explo-  
ratum habent, ibi velle religionem fingere, ridiculuſq<sub>3</sub> epistolis ſtabili-  
re? At enim id omni fide & patientia eſt majus, quod inſcriptioni-  
bus continetur. Hominum fidem! Nicodemum Gamalielis Natum.  
perbiberi, & Abibam ejus Nepotem: mox inverſa ſcena Abibam  
ſieri Filium, & Nicodemum evadere Nepotem? Quo pacto autem  
Pifas



*Pisas commigrarunt ossa illorum hominum? quis casus illuc detulit?  
scilicet his artibus Romana curia subsistit, his persuasionibus opes  
ejus amplificantur, miserorum verò conscientie impeditæ gravissimas  
credulitatis suæ exolvunt pœnas.*

9. Interim, ut rectè pronunciauit Chry-  
sostomus, non vacat commendatione, nec  
virtute caret, quod in consilio moderato &  
sapienti continetur, quo & Senatorum furo-  
rem compescere instituit, & ipsos, ne præ-  
nimia iracundia aliquid temere statuerent,  
aut sententiam præcipitarent, aptissimis ver-  
bis & exemplis commonefecit. Et vero huc  
ille tendebat, ut inconsulti homines à curis  
non necessariis ac intempestiva severitate  
revocarentur, tum finerent à se id impetra-  
ri, ne inania moliri, Cyclopicoque conatu  
ipsi Deo adversari vellent. Quo pacto &  
otiosos efficere studebat Collegas suos, &  
securitati ipsorum imprimis consulere & pro-  
videre laborabat. Nec defuit huic consul-  
tationi eventus, quo frustrari nequibat, qui  
auctoritate sic utebatur, nullosque cupiebat  
habere alios & consequi fructus, quam ut  
ferocia repressa, qui cædem antè & sangui-  
nem spirarent, descenderent in semetipsos,  
& haud gravatè sibi assentirent. Unde de  
opinionè est judicare, quæ de ipso fuit, ne-  
que

E

que

que modò eluxit in facti præstantissimi felici & sperato exitu, cuius præposterè faceret qui testimonium gravissimum adspernaretur, sed in diserta quoque Historiæ Sacræ comprehenditur narratione, ubi & in pretio fuisse apud universam populi multitudinem, & haud vulgariter de eo sensisse homines, ipsumque gloria fuisse oppletum ac inclytum significatur.

10. Quocirca crevit cum ætate Viri sapientia & consilium, cum hisverò existimatio & auctoritas, quam præterquam quod perspeximus in vivo, etiam in sepulcri cinerisque honore mirari & suspicere oportet. Annus erat duodevicesimus ante interitum Urbis, quo fungebatur fato, neque valdè immaturo ob succisum ætatis florem, neque non tempestivo propter imminentem reipublicæ calamitatem, quæ jam tum ingravescere, & aspera quæque comminari ipsi videbatur. Elatus est cum veste lineæ, sicut ipse præceperat, pompa non ad luxum & vanitatem, sed ad decus & nitorem composita. Iusta ipsi fecit Onkelosius, \* Paraphrastes ille non incelebris, quod propterea notant

tandum duxi, ne de alio, quem Cæsaris agnatum perhibent, me sermocinari quis putaret. Funeris honores fuere rari & magnifici, quippe Onkelosium adeo non tæduit impensæ, ut 70. libras Tyrias consumeret, ad bustum honorificentius largiusque instruendum; quandoquidem hos ferales ignes consuetudo gentis non improbaret, sed vetus cerimonia in tali casu temporeque sectaretur. Atque ita Gamalieli exequias ivimus, postquam per incunabula, per laureas primæ, sed honestissimis studiis transactæ ætatis, per munia togæ, variamque fortunæ ludentis faciem, per excellentium denique virtutum complexionem, hæc disputatio defluxit. Quæ reliqua sunt, huc non pertinent, \*\* sed alio judicanda & perficienda sunt loco, aliamque considerationem curasve sanctiores requirunt, quibus servari integra & relinqui à nobis oportet.

\* Onkelosius hic in eandem ætatem incidit, quæ Gamalielalem habet, & siquidem gentilitia historia mereatur fidem, Hillelem omnino vidit. E quo denuò nascitur illud, cuius est exposita à quibusdam & firmata ratio, scilicet Gamalielalem Hilleliani ævi extrema attigisse, unde retrò numerantibus cani & grandævi Viri senium occurrit. Præterea quæquam multa habeamus, quæ de Onkelosio referri & consignari possent, tamen hic in pietate ejus negotium præ-

Q  
T  
171

precipue vertitur, ad quam extimulari potuit non modo publicis Vi-  
ri meritis, sed etiam privata quadam necessitudine, qua cum illustri  
familia inseruit, vel potius officiorum nominibus devinxit. V. præ-  
ter Helvicum, Buxtorfium, & Schickardum, Germen Davidis à  
Gansio concinnatum, p. 88.

\*\* Itaque Filium non moror, qui in ipso incendio urbis con-  
flagavit, quemq; Josephus, nisi fallor, haud est passus omni gloria  
carere. Quanquam enim ipsi aliquando infensus Galilæe guber-  
nationem eripere vellet, tamen & rectè ipsum sensisse de republica,  
& libertatis amantem, summaq; dignitate fuisse præditum perscri-  
psit. Præterea talia memoria de illo prodidit, qua non modo  
virtutem ejus mirificè commendant, sed etiam ad institutum Patriæ  
precipue conducunt. Refert enim, Simeonem illum Hierosolymita-  
num illustri genere cum primis eminuisse, Phariseum secta, qua qui-  
dem videtur exactius tenere leges patriæ, insigni virum prudentia,  
& qui labantes res potuisset consilio suo in integrum restituere. Hoc  
certè quoniam ab adversario proficiscitur, non modo fidi testimo-  
nii loco haberi potest, sed etiam consentientia superioribus complecti-  
tur, neq; quonquam dubitare sinit, quia Gamalielis filius expressis  
verbis nominatur, hunc ad nostrum pertinuisse. Etsi verò callidis  
consiliis Josephum tunc aggredieretur, tamen nihil efficere potuit,  
quandoquidem populus Hierosolymitanus, non ipsi modo, verum  
etiam Anano Pontifici, à priori seducto, irascebatur, quod absq; con-  
silio publico legatis missis, conati essent optimum Virum dimovere  
à Præfectura Galilæe. E quo quidem adeò graviter multitudo  
fuit commota, ut minimum abesset, quin edes eorum in-  
cenderentur. V. Chronograph. Gansii, Millen. 4.

ann. 810. Bell. Jud. Lib. 4 cap. 5. Vis. Jo-  
seph. p. 1013. & 1022.

D. O. M.

1017

nc

